



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. I. An & quomodo divinæ Personæ sint similes & æquales.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

SECTIO SECUNDA.

Propositionum quarundam explicatio.

I. **Q**UÆRES primò, quid de his propositionibus sit censendum, *Deus generat, Deus non generat.* Quoad primam, asserunt Theologi cum S. Thoma hic, quaest. 39. art. 4. hanc propositionem, *Deus generat*, esse veram: quod etiam affirmant S. Bonaventura, Scotus & alii, secuti Magistrum in 1. dist. 4. imò Suarez hic, lib. 6. cap. 7. ait esse de fide, desumiturque ex illo Matth. 16. vers. 17. *Tu es Christus Filius Dei vivi*: & in Symbolo Niceno dicitur *Filius Deus de Deo*. Ex quibus optimè deducitur hanc propositionem, *Deus generat*, imò & hanc, *Deus generatur*, esse veram, Deus siquidem, ut sectione præcedente dictum est significat Deitatem in aliquo supposito: tam autem est Deus, Filius qui generatur, quam Pater, qui generat.

Deus generatur est vera propositio.

II. Cur falsum sit, Deus non generat.

Explicatur ex ipso naturam in Christo.

III. Deus genuit Deum, est verissima propositio.

esse verissimam. Sed dicit quispiam, Si Deus genuit Deum; ergo vel se Deum, vel alium Deum. Respondetur nec unum ex his sequi, nec alterum: non primum, denotaret namque illa propositio eum idem secum suppositum genuisse: secundum autem innueret esse plures Deos. Genuit itaque eundem Deum, distinctum scilicet à se supposito, quod tamen sit verus, & idem Deus, ejusdemque omnino cum eo substantiæ, ut supra declaratum est.

Quæres tertio: utrum hic modus loquendi sit admittendus, *Hic Deus, & ille Deus*? Respondetur negativè: insinuat enim esse plures Deos. Si autem addatur particula aliqua restringens, quæque unam Personam peculiariter denotet, ut *hic Deus qui mortuus est*, &c. existimo hunc loquendi modum *Hic Deus*, posse admitti: non enim per hoc significatur illa divinitatis, sed solius suppositi multiplicatio.

Hactenus egimus de prædicatione nominum concretorum: quoad abstracta, essentialia rectè & inter se, & de Personis realiter prædicantur: ut *Iustitia est Misericordia, Paternitas est Essentia, Essentia est Pater*, propter realem scilicet identitatem. Abstracta verò personalia, quæ realiter inter se distinguuntur, ne quidem realiter de se invicem prædicantur: unde non rectè dicitur, *Paternitas est Filatio*, nec est Filius: bene tamen dicitur, *Paternitas est spiratio activa*. Quamvis etiam, ut notavi, rectè dicatur *Essentia est Pater*, non tamen *Essentia generat*: significare enim videtur Filium à solâ essentiâ procedere: nec etiam dici potest *Essentia generatur*.

Uterius quoad modum loquendi, Tres Divinæ Personæ rectè dicuntur neutraliter *idem*: hoc enim denotat identitatem in substantiâ, seu quòd sint idem Deus. Pater etiam, quamvis sit *alius* à Filio, non tamen *aliud*, nisi addatur suppositum: *aliud* enim simpliciter prolatum, distinctionem denotat in Essentiâ. Quidam nihilominus hanc Propositionem admittunt, *Filatio est aliud à Paternitate*. De aliis vocibus, in Trinitate usurpari solitis, dictum est supra.

IV. Dicine possit hic & ille Deus.

V. De prædicatione nominum abstractorum.

Essentia non potest dici generare, nec generari.

VI. Tres Personæ dicuntur sibi perfectissime similes.

Pater est alius, non aliud à Filio.

DISPUTATIO LXI.

De similitudine, aequalitate, prioritate & Circuminfessione Divinarum Personarum.

SECTIO PRIMA.

An, & quomodo divina Persona sint similes, & æquales.

I. Cur Patres aliqui Divinas Personas negabāt esse similes.



HX Patribus nonnulli, ut S. Athanasius in Epist. de Synodo Ariminenſi, refugiebant olim concedere Filium Dei esse similem Patri, nec citra periculum erroris in Fide, id dici posse existimabant, quòd nimirum illis temporibus non satis explorata esset vis hujus vocis *similis*, sed ad similitudinem requiri videretur naturarum distinctio, sicque idem dicebant simile simul & consubstantiale alteri esse non posse.

Cum autem jam de Filii cum Patre consubstantialitate inter Orthodoxos constet, nullumque hac in re sit errandi periculum, extinctâ Ariæ hæreſi, dicendum cum omnibus Theologis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse verè & propriè similes: ad hoc enim sufficit, quòd sint supposita distincta, licet eandem habeant naturam, cum similitudo aliud nihil sit, quam unitas plurium in naturâ. Imò, ut ostendi Disp. 29. Logica, sect. 2. num. 9. perfectissima similitudo inter duo, tunc contingit, quando res, in qua sunt similes, est eadem numero in utroque extremo.

Quæri hinc solet, si hæc relatio similitudinis, relatio realis, an rationis? Affirmat Scotus in 1. dist. 31. quaest. 1. & alii esse realem. Communior tamen

II. Tres Divinae Personæ sunt sibi perfectissime similes.

III. Relatio hæc similitudinis, si sine reali, an rationis.

SECTIO SECUNDA.

De Personarum prioritare, & circum-
inseffione.

Nulla hic,
proprie lo-
quendo, est
relatio simi-
litudinis.

IV.
Quo sensu
admitti in
divinis pos-
sit relatio
realis simili-
tudinis.

Ad veram
& realem
relationem
non requiri-
tur, ut ratio
fundandi sit
realiter dis-
tincta.

V.
Tres divinae
Personae sunt
in perfectione
aequales.

VI.
Aequalitas
Personarum
desumenda
est ab eorum
Essentia.

tamen multo sententia ait esse tantum rationis. Ego cum Magistro in 1. dist. 31. cap. 2. existimo, nullam verè & propriè hic omnino esse relationem: nec enim est transcendentalis, Pater quippe, quà similis Filio, non eum producit, nec per modum principii aut originis hoc modo eum respicit, in hoc autem solo fitus est conceptus relationis transcendentalis in divinis. Nec etiam est relatio prædicamentalis, hæc siquidem, ut dixi supra, Disp. 52. sect. 1. num. 4. ubicumque est, accedit rei jam constitutæ, realiterque ab eâ distinguitur.

Si tamen per relationem realem prædicamentalem, nihil aliud quis intelligat, quàm duas Personas in eadem naturâ similes, seu quæ eandem habeant Essentiam, non video cur dici nequeat hic dari relationem realem, cum verè & propriè, ante omnem intellectûs operationem sint similes: relatio autem in illâ sententiâ nihil aliud est nisi similitudo: cum ergo identitas naturæ non obstat veræ & reali similitudini, nec obstat veræ & reali relationi. Unde in creatis, etiam in sententiâ relationem statuente realiter à fundamento & termino distinctam, existimo ad relationem realem non requiri, ut ratio fundandi in utroque extremo sit realiter distincta: sicque etiam in duobus parietibus esset eadem numero albedo, adhuc vera & realis in iis emergeret relatio similitudinis. A fortiori ergo quoad præsens, in sententiâ relationem ab extremis non distinguente, cum hic extrema, Personæ scilicet divinæ, aliunde supponantur realiter distinctæ, dari poterit realis relatio similitudinis, quantumvis ratio fundandi, natura scilicet, seu essentia, in omnibus sit eadem, & indistincta.

Quoad secundum in titulo propositum, de æqualitate scilicet divinarum Personarum, fide certum est eas in perfectione esse æquales: sic in Divi Athanasii Symbolo habetur, *Tres Personae coeternæ sibi sunt, & coequales*. In Præfatione etiam Sanctissimæ Trinitatis, de tribus Personis canit Ecclesia, *Ut in Essentiâ unitas, in Majestate adoretur æqualitas*. In quam proinde veritatem cum S. Thoma hic, quæst. 42. art. 1. tota conspirat Theologorum Schola. Hinc S. Augustinus lib. 6. de Trin. cap. 7. *Tantus, inquit, est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus Sanctus, quantus est simul Pater & Filius & Spiritus Sanctus*.

Ratio autem est, quia habent omnes eandem Naturam & Essentiam. Aliqui tamen, ut Zuniga 1. p. Disp. 17. dub. 1. aiunt duas Personas esse extensivè perfectiores unâ. Quod tamen alii negant, quòd scilicet quicquid perfectionis est in unâ, sit saltem mediatè ratione essentia in aliâ. Et hanc etiam ob causam non arguit majorem perfectionem habere naturam à se, quàm ab alio acceptam, &c.

Quoad primum, S. Thomas hic, quæst. 42. art. 2. omnem in divinis prioritatem negat, ob illud S. Athanasii in Symbolo, *In hac Trinitate nihil prius aut posterius*. Et sanè absolute loquendo ita est; si tamen quis addat *origine*, & dicat Patrem esse origine priorem Filio, &c. nihil vel contra Athanasium, vel fidem diceret: Unde cum Scoto docent passim Theologi hanc originis prioritatem in divinis Personis reperiri.

Nec dissentire videtur S. Thomas; hanc enim quæstione 42. art. 3. ait ordinem naturæ inter divinas Personas esse admittendum, cum ordo nihil aliud sit, quàm habitudo plurium ad unum principium: hic autem ordo naturæ est reipsâ prioritas originis, seu quod una Persona aliam producat.

Quoad Circuminseffionem notandum, eam aliud nihil esse, quàm divinarum Personarum mutuum in se invicem immanentiam. Hanc inter divinas Personas reperiri deducunt communiter Theologi ex illo Joan. 14. v. 11. *Ego in Patre, & Pater in me est*. Quod non minùs de Spiritu Sancto verum est, cum æquè in Patre & Filio sit, utpote per actum immanentem ab iis productus, eandemque cum iis habens naturam & essentiam.

Hanc itaque Circuminseffionem, seu mutuum divinarum Personarum inexistentiam reducant aliqui ad identitatem naturæ, quod scilicet omnes tres Personæ sint unum in Essentiâ, sicque per hanc identificationem sibi insint necesse est: ita hac in re procedere videtur Molina 1. part. quæst. 42. art. quintò. Arriaga hic, Disp. 46. sect. 5. num. 43. & alii.

Nonnulli tamen Circuminseffionem Personarum in intimâ præsentia, & inseparabilitate locali collocant, fundantque in immensitate: ita Scotus in 1. dist. 19. quæst. 2. Suarez citatus n. 11. & alii. Hanc verò mutuum præsentiam habent, non solum ratione essentia, sed particularium etiam relationum, quæ singulis Personis conveniunt: hæc enim, ut supra Disp. 55. sect. 2. num. 11. ostendi, suam etiam habent immensitatem.

Hoc modo aptè intelligitur quod canit Ecclesia Feriâ secundâ ad Laudes, *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater*, per mutuum scilicet hanc, & intimam sibi invicem præsentiam. Hanc tamen inexistentiam mutuum non merè concomitanter habent Personæ (sicut habent duo Dii, si fingerentur existere, & esse immensi) sed tum ob identitatem naturæ, tum quòd producantur per actus immanentes, quam ob causam, intimam sibi invicem præsentiam essentialiter requirunt, sibi que necessariò inexistunt.